



200

+







5.
THESES JURIS NAT. & GENT.
ORDINARIÆ
DE

CONDITIONE & DIE,

Auspice Numine

PRÆSIDE

HENRICO COCCEJO,

J. U. D. Jur. Nat. & Gent.

Prof. Ordin.

RESPONDENTE

ANDREA STEPHANI,

Juliacensi,

Discutiendæ

Die 7. Novembr. 1674.


*****P*?*****

HEIDELBERGÆ,

Denuo recusa 1715

CONDITIO BIE
ALBERT STEFANI





I.

Illud quod à natura homini in res suas Jus concessum est, esse facultatem legitimam de istis rebus disponendi, qua continetur quoque istius Juris in alium translatio, cui adeo Jus inde nascitur, suo loco ostendimus; nimirum; *uti quisque legasset* (i. e. legem statuerit: *Ulp. tit. 24. pr. νοθέσιον Nov. 22. c. 2. pr. rei suæ ita Jus est.* idque non tantum *Lege XII. Tabb. L. 120. de V. S. d. N. 22. c. 2. Ulp. tit. 11. §. 13. Cic. ad Heren. sed & Jure Nat. §. 40. de R. D. L. 20. §. 1. de pact. dotal. &c.* Haftenus igitur Jus est, quatenus vult is, qui disponit; hujus enim voluntas lex est. Ut dicitur *d. Nov. 22. c. 2. pr.*

II.

Sæpius autem ita disponunt, non ut omne statim Jus seu plena disponendi facultas (quæ *dominium* dicitur, & non nisi traditione ac possessione secuta transit) sed perendi tantum ac agendi facult-

* (4.) *
cultas, quæ obligatio dicitur, & ab altera parte necessitatem solvendi infert, transeat.

III.

Verum aliquando ne hoc quidem Jus statim translaturum volunt, sed conferunt vel in eventum casumve incertum, & *conditio* dicitur, v. gr. *Dabo, si frater successerit, vel in tempus aut diem certum, ut proximis Calendis.*

IV.

Conditio ergò est, quoties negotium suspenditur a casu: casus autem est, qui contingere potest vel non contingere, adeoque de eo incertum est an contingat. *L. 36. f. L. 39. de R. C.*

V.

Cum igitur eadem incertitudo in die quoque adjecto esse possit, v. gr. *dabo, cum 25. annorum fueris*, sequitur necessario, id pro conditione, non vero pro die habendum, per *§. 4.* Secus si de die tantum incertum sit, quando sit extiturus, v. gr. *cum moriere* id enim non est casus, quia necessario contingit, nec ei convenit definitio conditionis *in d. §. 4.* nisi immixta simul sit incertitudo, an sit extiturus, ut in casu *L. 1. §. 2. de condit. & demonstr.*

VI.

Ante existentem ergò conditionem vel diem nondum est obligatio, sed illis demum existenti-

tibus incipit *per §. 3.* est tamen Jus aliquod, cujus vigore standum dispositioni; qua placuit solvi die vel conditione existente, & harum proinde existentia expectanda, illa enim dispositio utique jus facit *per §. 1.*

VII.

Quod autem nec ante diem (de conditione enim contat) sic obligatio, hæc saltè hac vice pro modulo paginæ sufficiat ratio, obligatio enim sua natura continet necessitatem solvendi, *per §. 2. supr. & pr. f. de Oblig.* hæc autem ante diem nulla est, *per §. 3.* ergo nec obligatio, illa autem obligatio quæ ante diem nata, sed ex qua nondum peti posse dicitur in rei naturâ est non ens, & merus vocis sonus: nulla enim est obligatio sine necessitate solvendi; talis si quidem ejus est definitio in *d. pr.* & natura vocis, *per §. 2.* quæ necessitas ante diem nulla est: nec actus modo secundus qui dici solet, sed omnis plane facultas petendi ante diem tollitur; quæ est ipsa re vera obligatio *per d. §. 2.* Quinimo multo minus partes ante diem obligari volunt quam ante conditionem: qui enim alium a præsentidiem addit, expressè diem à die separat, eum in finem ne præsentidi debeat. *L. 41. §. 1. de V. O.*

VIII.

Hinc ergò concluditur (a) non tantum si ante conditionem, sed & si ante diem quis solvat, esse conditionem indebiti, quia & hic obligatio non est, sed indebitum §. 7. quod ergò aliud in die

LL.

LL. statuunt. *L. 10. L. 16. L. 17. L. 18. de condict. in deb.*
 mere civile est.

IX.

(β) Non tantum conditione, sed & die existente simul cedere ac venire diem, quia tota obligatio tunc demum incipit *per §. 6.* & hæc ergo legum differentia *Juxta L. 213. pr. de V. S.* mere civilis est.

X.

(γ) Id tamen non obstare, quo minus non tantum debitum, sed & Legatum ad heredem transeat, si Legatarius non modo ante diem, sed & si ante conditionem, adeoque ante diem legati cedentem moriatur: etsi enim nondum sit debitum sive legatum, sufficit tamen jus illud, de quo *§. 6.* dum enim hoc saltem ad heredem transit hujus vigore existente postea die vel conditione debitum peti potest. Unde (δ) non magis opus est retrahere conditionem quam diem: quia vi hujus juris in *§. 6.* omnia interim salva sunt (ε) frustra retrahere conditionem in contractibus, ibique tempus contractus inspicere, non autem in legatis, quia utrobique sine retractione vigore *§. 6.* initium negotii inspicitur; quæ proinde omnes, & hinc enatae aliæ operosæ differentia (*conf. L. 18. de R. J. L. 78. de V. O. L. 27. qui Sa quib. L. 10. §. 15. quæ in fraud. cred. L. 21. §. 4. de pact. L. 138. L. 144 L. 193. de R. J. L. 3. L. 4. L. 5. §. 2.*

quand.

* (7.) *

quānd. dies legat. &c.) sunt mere civiles ; & naturali vero ratione idem & simplex jus est per §. 3.

XI.

Sed & conditio impossibilis non minus vitiat testamento relicta quam contractus : quia nec statim jus esse potest ; cum deficiat voluntas disponentis , (qui suspensum voluit) adeoque & jus per §. 1. nec existente conditione , quippe quæ existere non potest . Idemque est si conditio sit turpis , & quæ jure existere non potest .

Cætera in sequentibus.

*****?*****

I.

COROLLARIA.

Quoties legatum , toties quoque legati æstimatio non debetur , idemque in fideicommisso.

II. Omnia

II.

Omnia negotia in arbitrium alterius conferri possunt ; in ipsius quoque rei legatum potest, non potest Contractus.

TANTUM!



152960

AB 152960

ULB Halle

3

003 614 956



5b.

VOIP

VD 17.





THESE

CONI

HENR

f. u

AND

T.

DIE,

JO,

NI,



Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

